UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ethicæ Doctrinæ Elementa, Et Enarratio Libri quinti Ethicorum

Melanchthon, Philipp

Witebergae, 1583

VD16 ZV 20638

Secvndvm Argvmentvm.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-56560

Visual Library

pit hominibus multos affectus, & quidem Deus inſtrumenta affectuum in homine condidit. Certiſſimum eſt igitur, aliquos eſſe bonos affectus ſuo genere. Et hæ definitiones teneantur: Boni affectus ſuo genere ſunt, qui congruunt cum lege Dei, ſeu cum recto iudicio rationis, vt diligere coniugem, natos, iraſci atrocibus ſceleribus, lætari ſaluti amicorum, miſericordia affici in calamitate innocentum, præſertim amicorum.

Econtra vitioſi affectus ſuo genere ſunt, qui lege Dei prohibiti ſunt, aut damnantur iudicio rectæ rationis, vt inuidentia in Cain aut in Saule, & ſimilibus, ἐπιχαιρεκακία in his, qui lætantur calamitate innocentum.

SECVNDVM ARGVMENTVM.

Res conditæ à Deo ſunt bonæ.
ϛοργαὶ ſunt conditæ in natura,
Igitur ſunt bonæ.

Manifeſtum eſt enim, ardentem amorem parentibus eſſe erga natos, quem quidem ſciamus ad imaginem Dei in hominibus pertinere. Ideo enim tales affectus inditi ſunt humanæ naturæ, vt ſint commonefactiones de amore Dei erga filium, & erga nos. Sicut vero amore, non imaginario nos diligimus natos: Sic vero amore Pater æternus diligit Filium, & afficitur miſericordia in calamitate ſuorum.

Hæc

Hæc etiamſi Stoici ridicula eſſe dicerent & nos non ſatis perſpicimus, qualis ſint hi motus in eſſentia Dei placidiſſima, tamen vera eſſe certiſſimum eſt, quia vox æterni Patris expreſſè ita dicit: Hic eſt Filius meus dilectus, quo delector, id eſt, quem intuens, vera & ingenti lætitia afficior. Item, Ego ſum Deus Zelotes, id eſt, verè iraſcens peccatis. Etſi autem veriſſimum eſt, vt dixi, aliquos eſſe affectus ſuo genere bonos, tamen, poſtquam natura hominum deprauata eſt, iam in corde multi ſunt vagabundi motus, aberrantes à ratione. Vnde ingens fit confuſio affectuum, & multi per ſe vitioſi bonis miſcentur. Item, Boni fiunt vitioſi per accidens, quia non reguntur ordine, vt multi homines magis amant ſuam vitam, vel voluptates ſuas, quàm Deum.

Hæc multiplex confuſio conſideranda & deploranda eſt, vt diſcamus agnoſcere infirmitatem humanæ naturæ, & à Deo petamus auxiliũ & gubernationem, quæ promittitur in Euangelio; Quantò magis Pater veſter cæleſtis dabit Spiritum ſanctum petentibus? Item: Spiritus opitulatur infirmitati noſtræ. Item: Effundam ſuper domum Dauid Spiritum Gratiæ, & precum. Deinde inenarrabilem bonitatem Dei etiam conſideremus, qui certò ſeipſum nobis impertit, effundens in pectora noſtra Spiritum ſanctum,

ſtam, propter Filium, &c, iam facilè eſt explicare dicta, quæ videntur omnes affectus damnare, vt, Senſus carnis inimicitia eſt aduerſus Deum, id eſt, affectus aut per ſeſe, aut per accidens vitioſi ſunt in homine, qui non regitur luce verbi Dei, timore Dei, fide & dilectione Dei.

DE TERTIA QVÆSTIONE.

An omnes affectus ex natura tollendi ſint?

De hac quæſtione facilè iudicari poteſt, ex priore reſponſione. Cùm enim dictum ſit, præcipi à Deo, vt ſint in nobis affectus congruentes legi Dei, & aliqui tales conditi ſint in natura diuinitus, vt ϛοργαὶ, manifeſtum eſt, nec debere nec poſſe tolli tales affectus ex hominum natura. Quare perſpicuum eſt, Stoicam ἀπάθειαν, commenticiam, falſam, & reijciendam eſſe.

Hæc prolixè declarari poſſunt ſumtis argumentis à lege Dei, & ab ipſo naturæ humanæ opificio, ac lex quidem reuera deſcriptio eſt opificij naturæ hominum, & imaginis Dei in homine. Talis eſſet natura hominis, ſi non deprauata fuiſſet. Eſſet in ea verum incendium horum affectuum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde. Item: Diliges proximum ſicut teipſum. Et

talis